

AD C. CORNELII TACITI
lib. 4. Histor. cap. 74.

DISSERTATIO POLITICA,

De

UNIVERSALI MONARCHIA:

unà cum florilegio
Selectiorum ex eodem Autore
sententiarum:
quas
in Universitatis Argentoratensis
Auditorio majore,
Præside Viro Clariss.

Dn. MATTHIA BERNEGGERO, HIST. PROF.

publico ac solenni examine,
die 9. Junii
Ventilandas proponit
MARCUS à RECHLINGEN, &c.

ARGENTORATI,
Typis RIHELIANIS,
ANNO M. DC. XXV.

Thomas Morus.

REgibus è multis regnum cui sufficit unum,
Vix Rex unus erit, si tamen unus erit.
Regibus è multis regnum bene qui regat unum,
Vix tamen unus erit, si tamen unus erit.

Bayerische Staatsbibliothek München

ALL' ILL.mo SIG. FERdinando Geizkofler, Cugino mio colendiss.mo

MOlto tempo è, ch'io desidero mostrar à V. S. Ill.ma qualche segno, per lo quale Ella possa cognoscere la mia devotione e riuerenza verso di Lei, la quale continuamente Le ho portato tale, che à me apparteneua, come à quello, che non solo da V. S. I. hà riceuuto innumerabili e segnalati fauori, iquali mi resteranno eternamente impressi nel' animo: mà ancora insin da fanciullezza fui amato & affettionato molto dall' Ill.mo & Ecc.mo Signor suo Padre, il Sig. Zacaria Geizkofler, le cui lodi & honori à voler raccontar, assai più fogli e tempo si richiederebbe, mà solo dirò, ch' Ei per l'intera ed isquisita cognitione delle buone lettere, per l'essercitatione de gli studii nobili, per la perfetione del giudicio, e per l'altre sue rare virtù era degno di stare al paro di qualsi voglia grande e raro ingegno. Onde s'aquistò l'amore e favore d' Imperadori e Potentati, ed insieme carichi grandissimi ed honoratissimi. Ora insin al presente dalla mia età per la sua tenerezza inhabile à cio es-

fettuare, non m' è ſtato permeſſo ch'io poſſa condurre al fine queſto mio giuſto diſegno, e quantunque ancor adeſſo di poco rilieuo poſſa eſſere l'indicio della mia oſſeruanza verſo V. S. I. tuttauia e'l tempo e la ragione facendo aſpettar qualche coſa di piu da me, finche quel medeſimo tempo e miei ſtudii mi portino piu honorata occaſione, ho voluto la preſente diſputà dedicarle, pregando V. S. I. pigliarla qual ella ſi ſia, per un arra del mio deſiderio. E ſi come queſto e'l primo pegno ch'io do à V. S. I. della mia ſeruitù, così ſpero che non debba eſſer l'ultimo. Frà tanto la ſupplico che ſi come V. S. I. è ſucceduta in tutte le perfettioni e virtù al ſuo Signor Padre, e nel amore ch'Eſſo m'hà portato, coſi Le piaccia vie piu queſta ſua affettione continuare verſo di me. Con che m'offeriſco per ſempre à ſeruirla. Di V. S. I. allaquale prego da Dio ogni compiuta felicità, e le bacio riuerentemente le mani.

D' Argentina, alli 3.
di Giugno 1625.

Di V. S. Ill.ma

Humiliſs. & Obligatiſſimo
ſeruidore,

Marco di Rechlingen.

VERBA TACITI.

Pulsis (quod dii prohibeant) Romanis, quid aliud quàm bella omnium inter se gẽtium exsistent? lib. 4. Histor. cap. 74.

QUÆSTIO I.

An consultum sit, universalem aliquam Europæ, atque adeò Orbis Monarchiam constitui?

Propositio I.

PLutarchus initio commentarioli de fortunâ Romanorum, Imperium Romanum appositissimè nominat & *Vestam sacram*, & *stabile retinaculum*, & ANCHORAM, quâ fluctuans illa Mundi ceu navis, post magnam jactationem, adfirmata tandem ac stabilita conquieverit.

II.

Ut enim (addit) *ex opinione quorundam Physicorum, ante Mundi constitutionem, corporibus aliis parvis etiamnum, ac sparsim agitatis, subterlabentibúsque, & comprehensionem nexúmque effugientibus, aliis grandioribus jam & compactis, atrocia invicem certamina exercentibus, turbásque dantibus, cum*

fragore fluctuârunt omnia, donec terra tandem ex compactis & agitatis suam nacta magnitudinem ac stabilitatem, etiam reliquis in ipsâ aut circum ipsam subsistendi opportunitatem exhibuit: ita maximis hominum potentiis & imperiis fortuito casu jactatis, & inter se collisis, quòd nemo unus imperaret omnibus, & quisque pro se imperium in alios adfectaret, inexplicabilis fuit clades, & error, ac mutatio continua omnium: donec Româ vires nactâ, & auctâ, & in se constringente cùm gentes & populos, tum peregrina etiam atque transmarina regna & dominia, maximæ res fundamentum, cui inniterentur, & firmitatem adeptæ sunt, Imperio in pacatum statum circulúmq; immobilem redacto.

III.

Et sanè de plerisque populis ac urbibus Romanæ ditionis prædicari verè potest, quod de Tyro Curtius lib. 4. cap. 4. *Eam civitatem multis casibus defunctam, & post excidium renatam, longâ pace cuncta refovente, sub tutelâ Romanæ mansuetudinis acquievisse.*

IV.

Cicero in primâ illâ prudentissimâ ad Quintum fratrem epistolâ, hoc ipso argumento suadens Asiaticis, haud gravatè vectigalia péndere: *Simul & illud*, inquit, *Asia cogitet, nullam à se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem abfuturam esse, si hoc Imperio* (Romano) *non teneretur. Id autem Imperium cùm retineri sine vectigalibus nullo modo possit, aquo animo parte aliquâ suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atq; ocium.*

V.

Sed & magnus civilis prudentiæ doctor Tacitus, 4. Histor.

Hiſtor. 74. Cerialem facit Treveros ac Lingonas eâ ratione cohortantem, *pacem & urbem ament*, nec rebellionem cæptent: *quum convulsâ Imperii compage, pulsíſq; Romanis, nil aliud quàm bella omnium inter ſe gentium exſtitura ſint.*

VI.

Quæ verba Tacitus, aut fallor, à Salluſtio, ut alia plura, mutuatus eſt. Ille ſic ad Cæſarem orat 2. in fin. *Quippe ſi morbo jam aut fato huic Imperio ſecus accidat; cui dubium eſt, quin per orbem terrarum vaſtitas, bella, cades oriantur?*

VII.

Atque hoc incomparabile beneficium Imperii Romani, cùm Plinius aliquot locis, ut lib. 2. cap. 5. lib. 27. cap. 1. &c. Strabo lib. 2. Geogr. tum hiſce verſib. eximiis Claudianus prædicat lib. 3. de laudib. Stiliconis, verſ. 150. & ſeqq.

ROMA *eſt, in gremium victos quæ ſola recepit,*
Humanúmq; genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ ritu: civéſq; vocavit,
Quos domuit, nexúque pio longinqua revinxit.
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quòd veluti patriis regionibus utitur hoſpes:
Quòd ſedem mutare licet: quòd cernere Thulen,
Rurſus & horrendos quondam penetrare receſſus:
Quòd bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem:
Quòd CUNCTI GENS UNA SUMUS. —

VIII.

O verba pulchra; rem verò longè pulcherrimam! Nec poſſit enim eſſe major voluptas aut commoditas, hac

hominum & rerum inter se communicatione, viis undique liberis commerciisque. Omitto ferè eandem ubique gubernationem & leges: eadem pondera, mensuras, numos: & plura: quorum bonorum sensus etiam hodiè aliquis in Turcarum, itémque Moscovvitarum Imperio est; & esset major, si leges & politia illic meliores.

IX.

Ut non ab re scripserit Aristides: *Orbem sub Romanis tanquam festum diem agitare: planéque miseratione dignos videri, si qui Imperio isti non subjaceant, ut qui tantis bonis carere necesse habeant.*

X.

Hæc olim. At hodiè imò jam à multis sæculis, Imperii Romani concentu consensúque miserè dissoluto, Europa talium bonorum expertissima, jactatur assiduis bellorum dissidiorúmque fluctibus, causâ non aliâ quàm quòd regna vel dynastiæ parvis aut modicis finibus inclusæ, semper in vicinos causam habent timendi vel sperandi, querendi vel ulciscendi.

XI.

Cùm autem, ex effato Sallustii, orat. 2. ad Cæs. *iisdem rebus respublica sit restituenda, quibus est conturbata*; non desituras hasce turbas, sunt qui putent, ni fluctuanti navi sua reddatur Anchora: nisique secta in tot dominos Europa iterum audiat Unius alicujus Aurigæ habenas.

XII.

Imò verò non desunt, quos jam à sæculo, & quòd excur-

excurrit, omni nisu hoc unum agere videmus, ut non Europæ modò, sed Orbis universi Monarchiam universalem sibi concilient: & ad eam ἡσύχῳ ποδὶ, tacito pede, successu non aspernando grassari.

XIII.

Quo id jure, quâve injuriâ, dicere non est nostrum: nec Milones nos Crotoniatæ sumus, qui temerè manus inseramus inter hiantes hasce rimas: nec per ignem ire cum ambustionis periculo, placet. Attamen ab ὑποθέσει ad θέσιν orationem traducere, generatimque ad illa tria Generis Deliberativi capita, *Honestum, Utile, Facile*, Quæstionem hanc, an ejusmodi vel Europæ, vel Orbis universi Monarchia catholica probabilis sit, excutere nihil vetat.

XIV.

Ac initiò quidem Honestatis Justitiæque rationes, Imperium universale molientibus objectare, scholasticum nimis ineptúmq; videri queat, ac Antigoni dignum increpatione; cui cùm libellus de Justitiâ à Philosopho quodam offerretur; *stolidum hominem illum esse* dixit, *qui sibi, alienas urbes tum vastanti, disceptationes de Justitiâ scriberet*: ut est apud Plutarchum oratione 1. de fortun. Alexandri Magni. Qui idē autor Pompeji Magni ad Mamertinos, obtendentes nescio quæ privilegia sua, dictum hoc recitat in ejus vitâ: *Non cessabitis, nobis gladio accinctis, leges prædicare?*

XV.

Nam, quod Lysander olim Argivis, in controversiâ quâdam adversum Spartanos, justiora sese argumenta ad

ferre dicentibus, responsi dedit, ὁ τάυτης (μαχαίρας) κρατῶν, βέλτιςα περὶ γῆς ὅρων διαλέγεται: *Qui isto* (gladio) *prævalet, is optimè de finibus disputat.* Plutarch. in apophth.

XVI.

Avidius Cassius, Imp. Marcum Antoninum vocavit *aniculam philosopham*; & his verbis in quadam epistolà risit: *M. Antoninus philosophatur: & quærit de Clementiâ, & de animis, & de* HONESTO, *&* JUSTO: *nec sentit pro Repub.* Vulcat. Gallican. in vitâ Cassii, cap. 1. & ult.

XVII.

Cicero de Officiis lib. 3. c. 21. & ex eo Suetonius in Cæs. cap. 30. scribunt, semper Cæsarem in ore habuisse versus illos Eteoclis apud Eurip. in Phœnissis act. 2.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιςον ἀδικεῖν τ' ἄλλα δ' ἐυσεβεῖν χρεών.
Nam si violandum est jus, regnandi gratiâ
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Quos poëta Gallicus eleganter ita convertit:

S'il faut estre meschant, sois le pour estre Roy:
Mais au reste sois juste, & vi selon la loy.

Nec aliter apud Senecam in Theb. act. ult. Polynices:

— Pro Regno velim
Patriam, penates, conjugem, flammis dare.
Imperia pretio quolibet constant benè.

Quomodo & Lucanus: *— Scelus omne nefas q.*
Hac mercede placent. —

XVIII.

Sed nimirum hoc illi dixerint, quos à Recti vero sensu

sensu gentilis impietas exclusit. At pietatis Christianæ professio talia vel sentire, nedum dicere vetat aut facere: cumprimis autem *Imperii thronum Justitiâ stabilire* jubet.

XIX.

Justos porrò modos Imperii acquirendi duos tantùm modò mos sive lex gentium habet, Electionis & Successionis: quarum illa suffragiis; hæc jure natalium, Imperantem designat.

XX.

Succedere in universale Orbis, aut Europæ certè, Imperium nemo potest: quia nemo unus est, cui succedat. Sed nec Eligi: quia neque qui eligant, invenientur. Verè quippe Sallustius, orat. 1. de Repub. ordin. à pr. *Nemo alteri imperium volens concedit.*

XXI.

Ecquis verò credat, eò adduci posse tot potentissimos Reges, celsissimósque Principes, ut solio suo degressi, novo scilicet illi Monarchæ catholico locum ultrò cedant, fasce sque submittant? *Quia Regibus æqua, nedum infima, insolita sunt.* Tacit. lib. 2. Annal. cap. 42. *Regum majestas difficiliùs ab summo fastigio ad medium detrahitur*, (ut Vicereges & Grandes fiant) *quàm à mediis ad ima precipitatur*, inquit Scipio Africanus ad Antiochi Regis Legatos, apud Livium lib. 37. cap. 45. Quo pacto Cæsar *difficiliùs se principem civitatis à primo ordine in secundum, quàm ex secundo in novissimum detrudi* sæpè professus est, Suetonio teste in ejus vitâ, cap. 29. Et Dionysius tyrānus dixit: *pedibus tractum, non insidentem equo, relinquere imperium oportere.* Liv. 24. cap. 22.

Super-

XXII.

Supereſt ergo non niſi tertium, ut ad Orbis Imperium oculos adjiciens, omnes alios imperio dejiciat, ac per vim ditionibus ſuis exuat; hoc eſt, æſtimatione veriſſimâ, grande latrocinium exerceat. Quod ipſum tamen (*cui enim tandem vitio advocatus deſuit?* ait Seneca lib. 2. de irâ, cap. 13.) in laude, ſunt, qui numerent.

XXIII.

Hi nimirum Tiridatis Armeniæ Regis barbari verè barbarum illud imbiberunt: *Id in ſummâ fortunâ æquius, quod validius. Et, ſua retinere, privatæ domus; de alienis certare,* REGIAM *laudem eſſe.* Tacit. 15. Annal. 1. Quam barbariem adſtruit alius item barbarus, Solimannus Turcarum Princeps, in oratione quâ captâ Rhodo inſulâ, & exturbatis inde Hieroſolymitanis Equitibus (*Frerios* vocari ſcribit Nicetas Choniates in Andronico Comneno: Gallica ſcilicet voce, ſignificante *Fratres*) ad Philippum Villerium Liladamum, Magnum illius Ordinis Magiſtrum habuit. *Quod nullo* (tyranni verba) *odio tibi bellum intulerim, ſed ſolâ dominandi libidine; vel hinc potes colligere, quòd te tuóſque inviolatis corporibus, intactis fortunis hinc dimittam. Haud enim bella gero, ut divitias & opes comparem: ſed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationem Imperii tendo. Eſt enim Regis, ſanguine Regum orti, proprium, rapere atque invadere aliena; non quidem avaritiâ, ſed gloriosâ cupidine dominandi: cui cùm obſtat vicinus, armis & vi eum tollere, ſatis habeo.* Hæc Jacobus Fontanus in fine libri 2. de bello Rhodio.

XXIV.

Etſi non Barbaris modò, ſed cultioribus etiam aliis nationibus, populis, Regib. aliquibus, idē animi fuiſſe cō-

ſtat.

ſtat. Sic enim Alexandrum Magnum, ut quietos populos, & à notitiâ quoque ſuâ remotos ſcrutatus, bello perſequeretur, nil movit, niſi

—— Sola animum mentémq; perurens
Gloria: —— (Valer. Flacc. 1. Argonaut.)

cujus tantâ cupidine flagravit, ut *plures, quos vinceret, dari ſibi Mundos* optârit: & Anaxarcho, ex auctoritate Democriti præceptoris, innumerabiles Mundos referenti, *Heu me miſerum, dixerit, quòd ne uno quidem adhuc potitus ſum!* Plutarch. de trãquillit. animi, & Val. Max. 8. c. 14. Sic *in Aſiâ Cyrus, in Græciâ Lacedæmonii & Athenienſes*, & alii alibi, *libidinẽ dominandi, cauſam belli habuerunt: maximam* GLORIAM *in maximo imperio putârunt*. Salluſt. Catilin. cap. 2.

XXV.

Equidem, ut *optimum quemque maximè Gloriâ duci*, facilè cum Cicerone pro Arch. concedo: ſic illud etiam cum Salluſtio Jugurth. cap. 1. contendo: *Graſſandum eſſe ad Gloriam viâ Virtutis*. Nam Ciceronis pro Roſcio Am. atque adeò virorum bonorum omnium judicio, *is* demum *videtur ampliſſimus* glorioſiſſimúſque, *qui Virtute in altiorem locum pervenit: non qui aſcendit per alterius incommodum & calamitatem*.

XXVI.

Nec enim glorioſa eorum exiſtimanda Gloria eſt, *qui, dummodò æternam memoriam aſſequantur, etiam ſceleribus innoteſcere non dubitârunt*. Valer. Max. lib. 8. cap. 14. ſub finem. Nec item amplectenda ſententia vulgi, *pro Gloriâ habentis, quæ, quàm diu opprimi poſſunt, ſcelera ſunt*. Senec. lib. 2. de irâ, cap. 8. in fin.

XXVII.

Jam autem quisquis Orbis imperium, oppressis aliis, invadere satagit, ad scopum illum suum atque finem, nisi per pietatis, humanitatis, naturæ leges calcatas, pergere minimè potest. Nam *detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis*, ait ille Romuli nepotum disertissimus, lib. 3. Officior.

XXVIII.

Quod si quis hæc de iis tantùm, qui demissi in obscuro vivunt, non autem, qui, magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, accipienda putat: idque Senecæ Thyest. act. 2. probat:

——Sanctitas, pietas, fides,
Privata bona sunt: qua juvat, Reges eant:

is B. Augustinum lib. 4. de civit. Dei, cap. 6. audiat velim. *Inferre bella finitimis*, inquit, *& inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos, sola regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud quàm* GRANDE LATROCINIUM *nominandum est?*

XXIX.

Rectè, *Latrocinium*: idque Scythæ Magno illi Alexandro, cujus exemplo præcipuè se tuentur *οἱ μοναρχησάντες*, in os objectârunt apud Curtium lib. 7. cap. 8. *Tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti,* LATRO *es.* Parique confidentiâ pirata ille, ex quo cùm Alexander quæsisset, *quo scelere impulsus, mare haberet infestum? Eodem*, inquit, *quo tu Orbem terræ*, ut ex Cicer. 3. de Repub. refert D. Augustinus de Civit. Dei, 4. c. 4. Quomodo

modo etiam à Lucano lib. 10. vers. 10. eadem

Isthæc Pellæi proles væsana Philippi,
Felix terrarum PRÆDO —— *διαῤῥήδην* appellatur.

Inprimis verò magni Senecæ, Alexandro Magno numquam æqui, de eo verba, præstat appendere & expendere, ex lib. 1. de Benefic. cap. 13. *Quid Herculi simile habebat væsanus adolescens* (Alexander) *cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: Orbem terrarum transivit, non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum mariſque pacator? At hic à pueritiâ* LATRO, *gentiúmq; vastator, tam hostium pernicies, quàm amicorum: qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis mortalibus; oblítus, non ferocissima tantùm, sed ignavissima quoque animalia timeri, ob virus malum.*

XXX.

Similia in Romanos apud Sallustium lib. 4. Histor. increpat Mithridates, epistolâ ad Regem Arsacem: *Eos nil quicquam à principio nisi raptum habere, domum, conjuges, agros, imperium: convenas, olim sine patriâ, sine parentibus, peste conditos Orbis terrarum: quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul juxtaq; sitos, inopes potentésq; trahant excidantq;:* LATRONES GENTIUM, *audendo, & fallendo, & bella ex bellis serendo, magnos factos, &c.* De iisdem apud Tacitum in Agric. cap. 3. dux Britannorum Galgacus: *Romani* RAPTORES ORBIS, *si locuples hostis est,* AVARI: *si pauper,* AMBITIOSI: *quos non Oriens, non Occidens satiaverit. auferre, trucidare, rapere* FALSIS NOMINIBUS *Imperium: atque ubi solitudinem faciunt,* PACEM *appellant.*

XXXI.

Qui posterior locus, consideratu sanè dignissimus,

aperit ipsissimas Orbis occupandi causas, *Avaritiam & Ambitionem*, nomina nequaquam honesta: quorum cùm, ut par est, puduerit piguerit que Romanos, *falsis* ea *nominibus* aliis obtexerunt. Ita fieri amat: τὰ αἰσχρὰ ὀνόματα, ἐ τὰ πράγματα εὐώδη σιν ἄνθρωποι ἐκ τῆ ἐπιπλέξεν αἰσχύνεσθαι: *Nomina turpia, non item actiones, ut plurimum hominibus pudori sunt*, ut ait Procopius. *Nec enim est qui quam tam malus, ut malus videri velit. Et qui de re nefariâ deliberat, id solùm quærit, quomodo quàm minimùm peccare videatur.* Quintilian. lib. 3. c. 8. *Omnes peccata dissimulant: & quamvis faliciter cesserint, fructu illorum utuntur, ipsa subducunt.* Seneca epist. 97. *Quis est, qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera & injurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipsis quæ impotentissimè fecit, speciem aliquam induat recti? velit quoque & iis videri beneficium dedisse, quos læsit?* Idem lib. 4. de Benefic. cap. 17. *Ipsi turpes, licet turpitudinis sint amatores, ostentatores esse non audent.* D. Augustinus de civit. 14. c. 18.

XXXII.

Ut autem *non est metuendum, lusciniola ne defuerit cantio* (Plaut. Bacchid. à pr.) sic etiam illos, qui alienorum Imperiorum subversione novam satagunt extruere Monarchiam; speciosa nomina numquam deficient, quæ tam vastis quàm injustis cupiditatibus suis prætexant.

XXXIII.

De Romanis id ingenuè fatetur eloquii Romani flos Cicero lib. 3. de Repub. *Noster*, inquit, *populus, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est.* Pulchrum colorem vide: sed & malitiam vide: ad quam tamen Romanis præivisse videri possunt Athenienses, de quibus Alcibiades apud Thucydidem lib. 6. pag. 423. c. *Auxilium enim impigrè tam*

tam barbaris quàm Græcis implorantibus ferendo, imperium nos noſtrum, & ſi qui alii habuerunt, comparavimus. Quam rationem invadendi aliena, (ne de aliis dicamus) inprimis etiam Turcæ frequenter uſurpârunt. Bonum factum, ſocios, inopes, per injuriam expulſos, defendere, erigere, reſtituere (Nam *aquè injuſti ſunt, qui injuriam ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant, ac qui ipſi inferunt.* Cicer. 1. offic.) ſed ita bonum, ſi hoc prætextu pedem manúmq; non promoveas, & apprehendas aliena.

XXXIV.

Cæterùm omnium ſpecioſiſſimus, ut alios omittam, prætextus RELIGIONIS eſt, quem hodiéque jactari videas, jactatum jam olim à Philippo Macedonum Rege, & ipſo alienorum imperiorum aucupe callidiſſimo: *qui Thebanos ſacrilegos bello ſuperans, apud omnes nationes gloriam conſequitur. Illum vindicem ſacrilegii: illum* ULTOREM RELIGIONUM: *quod Orbis viribus expiari debuit, ſolum qui piacula exigeret, extitiſſe dignum. Itaque à diis proximus habetur, per quem deorum majeſtas vindicata ſit.* Juſtin. lib. 8. cap. 2.

XXXV.

Huc referunt illud Aurelii Prudentii, lib. 2. contra Symmach. verſ. 583. &c.

Vis dicam, quæ cauſa tuos, Romane, labores
In tantum extulerit? queis gloria fortibus (malim *fontibus*) *aucta*
Sic cluat, impoſitis ut Mundum frænet habenis?
Diſcordes linguis populos, & diſſona cultu
Regna volens ſociare Deus, ſubjungier uni
Imperio, quicquid tractabile moribus eſſet,

Concordiq; jugo retinacula mollia ferre
Constituit, quò corda hominum conjuncta teneret
RELLIGIONIS *amor*. NEC *enim fit copula* CHRISTO
Digna, nisi implicitas SOCIET *mens* UNICA *gentes*.
Sola Deum novit concordia, sola benignum
Ritè colit tranquilla patrem: placidissimus illum
Fœderis humani consensus prosperat Orbis.

Et aliquanto pòst:

Sic incompositos humano in pectore sensus
Disjunctásq; animi turbato fœdere partes,
Nec liquida invisit sapientia, nec DEUS *intrat*.

XXXVI.

Verùm ut occasione Romani Imperii, mirificam Christianam religionem incrementa sumpsisse negari non potest: sic illud est certè pernegandum, quòd armis eadem promovenda sit. Quod cùm à doctrinâ & praxi Christi, Apostolorum, & Ecclesiæ priscæ; à naturâ religionis; à judicio Patrum, alienissimum esse, pridem ab Alb. Gentili lib. 1. de jure belli, cap. 9. sit abundè sufficientérque demonstratum, ultrà probare nihil attinet. Tantùm recitare libet gravem sententiam Pauli Æmilii Veronensis, lib. 6. Annal. Francic. seu in Philippo II. Augusto, ubi de bello Pontificis adversus Regem Neapolitanum: *Suum quisque bellum, Sacrum prædicat; hostes quisq; suos, Impios dicitat: suam quisque causam, Sanctam nominat: in ore omnium, Sanctum Piumq; versatur: consilio, conatu, animo, secus afficitur. Si de Religione tantùm agatur: si oblivio noxa sanciatur: si sanatis mentibus, fortunis hominum abstineatur; omnes idem sentiant. Nunc de mortalium jure res est. Ea controversia tollatur; nulla erit armorum causa. Nunc nulli nefario sceleri non* PRÆTENDITUR *nomen pietatis. Sacræ militiæ nomen ad hæc arma (miserum!) recidit.*

Ne

XXXVII.

Ne res exemplo careat, ævi noſtri Livius, Jac. Aug. Thuanus lib. 1. de Ferdinando Arragonio ſcribit, *in eo nihil deſideratum eſſe præter fidem, qua* SUB COLORE RELIGIONIS, *quam in omnibus actionibus ſuis prætexebat, ad ambitionem & inexplebilem propagandi imperii cupiditatem mirâ calliditate ſit abuſus*: nec primus tamen, aut ſolus: veterem egit fabulam ac mimum. Nam præter Philippum, quem paulò antè memoravimus, & alios, etiam apud Thucydidem lib. 1. pag. 82. Lacedæmonii bellum Athenienſibus illaturi, cùm reverâ de potentiâ regionéq; certarent, religionem obtendunt, quaſi neſcio quod in Minervam deam commiſſum ſcelus expiare decreviſſent. Et apud eundem autorem lib. 5. pag. 380. belli inter Argivos Epidauriósque orti cauſa in ſpeciem quidem jactabatur Apollinis Pythei victima, quam cùm ob paſcua adducere debuiſſent, non tamen miſerant Epidaurii: re verò id ſpectabant Argivi, ut in ſuam poteſtatem, ſi fieri poſſet, Epidaurum, futuram ſibi commodiſſimam, redigerēt. Adeò nimirum, ex poëtæ ſcito,

Relligio velum eſt, quod tegit omne ſcelus.

XXXVIII.

Cùm autem hoc noſtro tempore nonnulli ex iis, qui Romana ſacra profitentur, in iisque præcipuè non nominandus Alaſtor ille, qui ſuperioribus annis horribile belli ſacri claſſicum, nec id fruſtrà, ut apparet, incinuit, hunc ipſum Religionis prætextum, JUSTISSIMUM *acquirendi Hæreticorum bona titulum* perhibeant: (Claſſic. cap. 2. pag. 18. m.) ſinéque rubore, *ſub Hæreſeos extinguendæ* COLORE (id verbi diſſertè ponunt) *ditiones Hæreticorum invadendas, & ipſos occidendos eſſe* clamitent; (ibid. cap. 4. pag. 29. f.

29.f.) ex aliis eorundem sacrorum, sed sanioris judicii, hominibus, duos juvat adducere, diversum non sine ratione sentientes, Natalem Comitem, & Scipionem Amiratum: quorum ille Historiarum sui temporis libro 1. post pr. *Ego* FACINOROSI *& impuri hominis semper*, inquit, *esse existimavi, per simulationem contemptæ aut violatæ Religionis, alterius bona prædari: cùm nulla sit tam nefaria religio, tamq; impia, quæ jubeat, in homines diversæ religionis,* LATROCINIA *exercere. Sed hæc sunt* AVARISSIMORUM TYRANNORUM *instituta, & improbitatis integumenta.* Hic verò dissertationum politicar. libro 3. discurs. 10. pluribus ostēdit, *scelestum, detestabile, ac nobis præcipuè Christi fidelibus perquam esse turpe, Religionis nomine* VIM *involvere, eóq; penicillo cupiditates improbas* (ipsum verbum ponit Alastoris antea subindicati) COLORARE: *posteaquam etiam ab idololatris pro re turpissimâ habitum id fuerit.*

XXXIX.

Detractâ itaque prætextuum inani larvâ, non poterunt alienorum regnorum invasores, & Monarchiarum universalium isti fabri, alio se jure tueri, nisi manuario illo, sive τῇ χειροκρατίᾳ, quâ nisi quondam Galli, Romanorum legatis, invasionis eorum causam rogantibus, responderunt: *se in armis jus ferre, & omnia virorum fortium esse.* Livius, 5. c. 36. m. Quomodo & Athenienses apud Thucydidem lib. 1. pag. 51. Ἀεὶ καθεστὼς γίγνεται, τὸν ἧσσω ὑπὸ τοῦ δυνατωτέρου κατεργάζεσθαι: *semper ita moris fuit, inferiorem à potentiore subjugari:* Et legati Tencterorum apud concilium Agrippinense (teste Tacito, 4. Hist. 64.) inquiunt: *Quomodo lucem diémq; omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris naturam aperuisse.* Ubi nescio quam illi naturam dicant: id quidem scio: *vim legémque* humanæ *naturæ, non, uti inter pecudes, sic inter homines, potestatem & imperium valentioribus*

tiorib. (quos illis libuit appellare fortiores) *dedisse:* (Plin. panegyr. c. 38.) quin & legem divinam, *alienum* vel *concupiscere,* & quantò magis invadere, occupare, rapere? vetuisse.

XL.

Ab Hesiodo certè Jus & Vis opponuntur, ut maximè non diversa modò, sed & adversa, lib. 1. oper. & dier. vers. 275.

Καί νυ δίκης ἐπάκουε, βίης δ' ἐπιλήθεο πάμπαν.
Τόν δε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων
Ἰχθύσι μὲν, Θ ϑηρσὶ, Θ οἰωνοῖς πετεηνοῖς
Ἔσθειν ἀλλήλους· ἐπεὶ ὐ δίκη ἐςὶν ἐν αὐτοῖς.

Audi Justitiam, Vimq; oblivisce prorsus.
Hanc etenim legem nobis Deus ipse reliquit:
Piscibus at, memorúmq; feris, avibúsq; se ut ipsi
Invicem edant: Juris quia non discrimen in illis.

Quò pertinet illud M. Varronis dictum in Margopoli, sive libro περὶ ἀρχῆς, citatum à Non. Marcell. cap. 2, 98.

Qui potè, plus urget. sic pisces sapè minutos
Magnu' comest: ut aves enecat accipiter.

XLI.

Porrò quandoquidem, ex Publii Syri sententia, ut

Verum est, quod pro salute fit mendacium: sic
Bona turpitudo est, quæ periculum vindicat:

haud immeritò, propè tanti esse, videri alicui queat, ut vel per nefas, unius potestatem ditionemque cuncti & cuncta subeant, modò id ex usu generis humani, vel saltem totius Reipub. Christianæ fuerit. Quippe multorum animis insident illa decreta: *Quidquid valdè* UTILE *sit, id fieri* HONESTUM, *etiamsi antea non videretur.* Cicero lib. 3. Offic. c. 28. *Semper officio fungi eum, utilitati hominum*

qui consulit, & humanæ societati. Ibid. cap. 6. *Quædam vi tractanda, quò cæteris quies sit.* Tacit. 1. Annal. 9. *Habere aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos, utilitate publicâ rependitur.* Idem 14. Annal. 44. *Digitum præcidi oportere, si ob eam rem gangræna non sit ad brachium ventura.* Varro in frag. Notabile quoque Gallorum dicterium est, & argumento l. 1. in fin. ff. de lib. exhibend. quodammodo nixum: *En matiere d'Estat il est force quelque fois de faire tort en detail, pour faire droict en gros.*

XLII.

Ad hanc adeò decantatam RATIONEM STATÛS, & ad institutum nostrum, pertinet illud Imp. Augusti apud Dionem, oratione in Senatu, lib. 53. cùm suam in Rempubl. beneficia commemorâsset, & bona præsentis statûs: *Adeò ut, si iterum in fatis sit Rempub. nostram affligi & agrotare; optaverit aliquis, hoc eam modo turbari ac collidi:* ut scil. per vim ademptâ libertate, ab omnimodo vindicetur interitu, *eò redacto populo Romano, ut salvus esse non posset, nisi beneficio servitutis*, ut ait Senec. lib. 5. de Benef. cap. 16. seu, verbis Tacit. 1. A. 9. *Cùm non esset aliud discordantis patriæ remedium, quàm ut ab una regeretur.* Sic & jure suo princeps Oratorum Demosthenes, pro Rhodiorum libertate, cùm mala recensuisset, quæ ipsi pertulerât: *Propè tamen abest*, inquit, *quin dicam, si vos iis auxiliari, decernitis, ex usu eorum fuisse, hæc pati.*

XLIII.

Operæpretium igitur est, ut nunc UTILITATIS rationes excutiamus, & ejusmodi qualem illi machinantur universalem Monarchiam, sive regentes, seu parentes, seu simul utrosque spectes, non magnopere commodare,

dare, imò verò plurimum incommodare, demonstremus.

XLIV.

Et quoniam ad Universalis Monarchiæ demonstrãdam Utilitatem, vulgò Romani potissimùm Imperii jactatur exemplum; illi ipsi exemplo, paulò pressiori pede juvat adhærere: ut, quid de multò majore, quàm Romanum fuit, Imperio sperari possit, intelligatur. Non potest autem quisquam veteris memoriæ gnarus ignorare, *Romanum Imperium ab exiguis profectum initiis, eò crevisse, ut jam* tum ætate Livii, *magnitudine laborârit suâ*, quod in operis historici præfatione tradit ipse.

Nec se Roma ferens &c. ait Lucanus lib. 1. vers. 72. Jam autem, ut Sol magnus Romanæ sapientiæ Seneca, de vitâ beatâ cap. 13. ipsa Livii verba exprimens, inquit: NON *est bonum, quod* MAGNITUDINE *laborat suâ.* Nam, verbis ejusdem Autoris lib. 6. de Benef. cap. 31. *Immodica numquam* (commodè quidem) *regi possunt: nec diu durat, quicquid regi non potest: cùm & nascatur in perniciem, utut alia quiescant, ex ipsâ magnitudine suâ, causa:* Non secus ac *navigium propter magnitudinem immoderatam atque immensam, navigationem incommodam reddit:* quæ comparatio Aristotelis est lib. 7. politic. cap. 4. A qua non abludit illa Scipionis Amirati, lib. 1. dissert. in Tacit. discurs. 6. *Quemadmodum in vastis, neque moderatæ proportionis corporibus, bona constitutio non facilè reperitur, & ex ipsismet enascitur invaletudinis causa: sic maxima imperia sub nimio virium suarum pondere laborant atque fatiscunt.* Sic ad Imp. Carolum V. Gatinara: *Ut imprudens architectus est, qui altiùs domum ducit, quàm ferendo est fundamentum: & funestâ indulgentiâ gratificatur ventriculo, qui plus illi concedit, quàm concoquere possit: ita vastum nimis regnum, ipsâ amplitudine labascit, & suopte impetu diffluit.* Guicciardin. lib. 16. Histor.

Hinc non immeritò Imp. Augustus, Imperii rationario, quod suâ manu perscripserat, *consilium* adjecit, à successore Tiberio præcepti instar observatum, *coërcendi intra terminos Imperii.* Tacit. lib. 1. Annal. cap. 11. & in vit. Agric. c. 13. *Atque hoc non verbis modò, sed re etiam,* verè augustus Imperator ille *servavit. Nam*, ut scribit in Cæsaribus Julianus, *etsi plures gentes, sui juris poterat efficere: numquam tamen voluit. Sed duos Imperio Romano limites, tamquam à naturâ datos, Istrum & Euphratem statuit: cæterùm in juris descriptione, & eorum quæ bellis civilibus depravata erant, correctione incubuit.* Sed & ante Augustum P. Scipio Africanus, cùm ipse censor lustrum conderet, in que Solitaurili sacrificio scriba ex publicis tabulis solenne ei precationis carmen præiret, quo dii immortales, ut populi Rom. res meliores ampliorésque facerent, rogabantur: *Satis*, inquit, *bona ac magna sunt. itaque precor, ut eas perpetuò incolumes servent.* Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari jussit. quâ votorum verecundiâ deinceps censores in condendis lustris usi sunt. Prudenter enim censuit, tunc incrementum Rom. Imperio petendum fuisse, cùm intra septimum lapidem triumphi quærebantur: majorē autem totius terrarum Orbis partem possidenti, ut avidū esset, quicquam ultrà appetere: ita abundè felix, si nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret. Hæc Valer. Max. lib. 4. cap. 1. Hisce gravissimi judicii viris duobus tertios Sinenses, potentissimum simul atque cultissimum extremæ populum Asiæ, componimus: imò verò tantò anteponimus, quantò jam parta ultrò relinquere, quàm in partis acquiescere, majoris animi est. De iis Johan. Pet. Maffeius histor. Indicar. lib. 6. à pr. *Multò latiùs quondam imperâsse gentem, annales ipsorum, & complures, in Indiâ præsertim, ab iis denomi-*

nominatæ nationes, haud obscurè testantur. Sed cùm SUA *ipsi* MOLE *viribúsque fatigarentur (quod à Carthaginensibus in re simili factum legimus)* SPONTE *misso veluti sanguine, & castigatâ luxuriâ, intra hosce fines recepêre sese; gravi proposito edicto, nequis injussu magistratuum excederet.*

XLVI.

Nimirum hi omnes pro sapientiâ suâ non nescierũt, quantâ conjunctum cum incommoditate non modò, sed & periculo, maximi cujusque sit Imperii regimen. Cujusmodi sunt: quòd primò, si vel maximè fabricatum fingas universale istud Imperium, nihil tamen est causæ cur ad longius aliquod spatium temporis, nedum ad perpetuitatem, duraturum id sperare queamus. *Cùm omnia humana, tum maxima quæque regna & imperia, sub casibus multis sunt,* Liv. 42. c. 50.

Ut alta ventos semper excipiunt juga:

Imperia sic excelsa Fortuna objacent. Senec. Œdip. à pr. *Fati maligna perpetuáque in omnibus lex est, ut ad* SUMMUM *perducta, rursus ad infimum,* VELOCIUS *quidem quàm ascẽderunt, relabantur.* Seneca pater in præfat. 1. controv. post pr. Quod forsan imitatus Lucanus lib. 1. vers. 70.

Invida fatorum series, inquit, SUMMIS q; *negatum*
Stare diu, nimióq; graves sub pondere lapsus.

In summum perducta, maximè nutant. Senec. Phil. lib. 6. Benef. c. 30. *Maximæ cuique fortunæ minimè credendum est.* Liv. 30. c. 30. *Cuncta mortalium incerta, quantóque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictabat Tiberius* apud Tacitum lib. 1. Annal. cap. 72. *Nulla magna civitas* (adeóque nullum magnum imperium) *diu quiescere potest. si foris hostem non habeat,* (id quod fieret in universali monarchiâ) DOMI *inveniet.* Liv. 30. c. 44. Quæ quidem domestica ac *intestina*

discordia ad accelerandum interitum vim maximam habet. *id unum venenum, ea labes imperiis magnis reperta, ut essent mortalia.* Liv 2 cap. 44.

XLVIII.

Deinde, cùm sit, effato Diocletiani (apud Vopiscum in Aureliano cap. 43.) *Nihil difficilius, quàm bene imperare:* & verbis Cottæ apud Sallustium in fragm. *Multa cura summo imperio insit, multi ingentes labores*; hanc difficultatem, curam, laborem, in universali Monarchiâ in immensum excrescere necesse erit: ut omninò non sit verisimile, *unius hominis mentem tantæ molis capacem esse posse* (ex Tacit. 1. Annal. 11.) *Est* autem *unum Imperii corpus, Unius animo regendum.* Idem 1. Annal. 12. *Ea conditio est imperandi, ut non aliter ratio constet, quàm si* UNI *reddatur.* 1. A. 6. Proinde minimè consultum, *concupiscere quæ non capias.* Curt. 7. c. 8. Nisi fortè Principem expetamus (quis autem expetat?) Domitiano similem, qui *nomen sedémque Cæsaris acceperat, nondum ad* (Imperii) *curas intentus: sed stupris & adulteriis filium Principis agebat: & ex Imperatoriâ fortunâ tantùm licentiam usurpabat.* Tacit. 4. Histor. 2. & in Agric. c. 7. Quomodo apud Niceph. Gregoram lib. 8. Histor. c. 26. *Andronicus Junior Imperatoriæ potestatis licentiam tantùm ambit: habitum verò & solicitudines toto impetu à se repellit.*

XLVIII.

Atqui dabimus ei adjutores, inquis, qui in partem curarum veniant, ac Reipubl. munia sociatis laboribus exequantur. Id quidem haud sprevero, gnarus, *Gravissimos Principis labores, queis Orbem terræ capessit, egére adminiculis.* Tacit. 12. Annal. 5. *Magna negotia magnis adjutoribus egent: & rarò eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam*

damfortunam ſuam uſi ſunt. Vell.Pater c.lib.2. Hiſtor. cap. 127. *Multos regum oculos, multas aures eſſe convenit:* (Xenoph.lib 8. Cyripædiæ) ſic ut nihilominus ſumma rerum poteſtas penes unum remaneat.

XLIX.

Verumtamen quia boni Principis eſt, ex præcepto Ciceronis ad Q. Fratrem epiſt. 1. *circumſpicere, ut in imperii ſui cuſtodiâ non ſe unum modo, ſed omnes miniſtros, civibus & Reipub. præſtet:* &, quod inter præclara Tiberii inſtituta refert Noſter lib. 4. Annal. cap. 7. *modeſta ſervitia* habeat: ut in imperio mediocri difficulter, ſic in immenſo, nullo modo id fieri poſſe contendo. Nam abſentiâ domini, miniſtris ad omnem licentiam aperiente locum, hîc vel inprimis locum habebit illa Diocletiani querela: *Colligunt ſe quatuor vel quinque, atque unum conſilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum ſit. Imperator, qui domi clauſus eſt, vera non novit: cogitur hoc tantùm ſcire, quod illi loquuntur, &c. Quid multa? Bonus, cautus, optimus vĕditur Imperator.* Vopiſcus in Aureliano, cap. 43.

L.

Nec proficit, iſtorum Viceregum aliorúmque diſſiis ab Aulâ locis Adminiſtrorum Præfecturam temporis exigui ſpatio circumſcribere. Nam utut hoc ſit è re Principum, quibus *Nihil tam utile, quàm brevem poteſtatem eſſe, quæ magna ſit:* (Latro apud Senec. 7. controverſ. ult.) cùm *longiora & diuturniora imperia, multos attollant, ac ad res novandas impellant* (Mecænas ap. Dion. lib. 52.) certè tamen *non parcit civibus regnum breve.* Regnum enim hi tales exercent, tantò aſperius, quanto brevius: & ſubinde famelicæ muſcæ in locum diſcedentium exſaturatarum ſuccedunt:

cedunt: fitque illud Taciti, lib. 1. Histor. cap. 7. *Servorum manus* SUBITIS *avidæ, & tamquam apud senem festinantes.*

LI.

Jam autem *quibus avarè & superbè imperitatur, ad quas. cunq; spes novas erigunt animos.* Curtius 4. c. 7. *Quamvis servitio fueti, patientiam abrumpunt.* Tacit. 12. A. 50. Multòq; maximè, recens subactarum à novo illo Monarchâ *gentium tumidæ inflatæq;, necdum assuetæ frænis servitutis cervices, ab imposito nuper jugo facilè resiliunt.* L. Florus lib. 4. cap. ult. Sic ut populorum defectiones multò plures, ab injuriis, avaritiâ, crudelitate Ministrorum, quàm obsequii erga Dominos impatientiâ profectas, omnis confirmet Historia.

LII.

Quod si quis & hæc, & cætera, quæ ex imperiorum alienorum oppressione, violationéque privilegiorum, solent oriri, magna odia, magnum illum Monarcham magno terrore facilè compescere posse putat; meminerit, *Nullam vim imperii tantam inveniri, quæ premente metu possit esse diuturna.* Cicero lib. 2. Offic. cap. 7. Nam, ut perquam scitè Antonius Perezius', Hispanorum Politicorum eximius, ait: *Le Royaume plein de mal-contens branle comme une tour fondee sur du vif argent: Regna malè contentis, ut vocant, plena, instar turris argento vivo inædificatæ nutant.* Aphoris. 113. Et ut *id firmissimum longè imperium est, quo obedientes* GAUDENT: (Liv. 8. c. 13.) sic NON DIU *potest, quæ multorum malo exercetur, potètia stare. Periclitantur enim, ubi eos, qui separatim gemunt, communis metus junxit.* Senec. lib. 3. de irâ, cap. 16. *Qui pavore coacti & vi imperata faciunt, cuncta ad id observantes momenta, quum primùm per occasionem licet, repentè invisi imperii jugum cervicibus excutere properant,* ut ait Nicolaus Syracusanus, oratione illâ aureâ ad suos cives, apud Diodorum Siculum lib. 13.

Monar-

Monarchiæ Universalis incommodis annumeramus etiam ista: quòd *imperii vis omnis in consensu obedientium est.* Liv.2.c.59. At is in illâ tot gentium, linguis moribúsque diversarum multitudine, nullus, aut non firmus esse potest. Quòd *ex distantibus terrarum spatiis consilia* (& multò magis, si qua sunt opus, auxilia) *post res demum afferuntur.* Tacit.lib.3. Histor.cap.5. *L'acqua lontana non spegne fuoco vino,* ut Italis est in proverbio. Quòd *imperantis vis soluta quæ dispersa in multitudine* (tot gentium) *minùs potest.* Sallust.Jug.c.41. Quòd *majestati major* quidem *ex longinquo reverentia:* (Tacit.1.A.47. sed si longinquitas illa nimia; speritur: certè non metuitur. Neque verò in tantâ Imperii amplitudine facilè dederis *Urbem caput rerum, unde in omnia regimen* (Tacit.3. Annal.47. & 2. Hist.32.) Nam ubiq; nimia extremorum à centro distantia. Unde fieri necesse est, quod Indus ille philosophus Alexandro Magno ob oculos ponebat in expanso corio sicco, quod contra prementem in uno angulo pedem subinde exurgit, quando citiùs excurrit, quàm utriusque pedis vestigia pertingere queant. Plutarch.in Alex. Magno.

LIV.

Adde quòd haud rarò periculum adferre solet etiam penè institutis Rebuspub. recèns parta provincia aliqua aut urbs, deliciis & fortunæ indulgentiâ abundans; ex qua corrupti hominum mores per contagium quasi ad vestros transire ac serpere possunt. Quomodo detectionem Indiarum, Hispanis attulisse plus damni, quàm commodi, alicubi probat in Itinerario suo Linscotanus: & Asiam devictam Reipub. Romanæ detrimento fuisse contendit L.Florus lib.3.cap.12. Adde quòd quandoque plus sumptus faciendi sunt in acquirendo aliquo dominio, vel & conservando, quàm usus fructus ejus compensare

queat. Horum utrumque confirmat acutissimus Machiavellus lib. 2. disput. de Repub. cap. 19.

LV.

Ut hactenus enumerata mala ferè Monarchas illos latè dominos ipsos attingunt: ita præcipuè subditi, Thucydidis illud verissimum experiuntur, lib. 3. pag. 229. b. *Principatus augendis opibus & ambitioni studens, omnium malorum causa est:* & hoc Livii, 28. c. 21. *Magnum cupiditas imperii malum inter mortales est.* Nam illa accessionis regnorum fælicitas, quanquam, Senecæ verbo (epist. 115.) *bracteata* tantùm, & lithargyro aut cholobaphino, non auro, similis: tamen si qua est, privata Principum est: ipsis autem populis exitiosa esse solet: cùm non secus, ac à magnis fluminibus, minutiorum & nomen absorbetur & gloria; sic incorporata regnis majoribus minora, libertatis privilegiorúmq; ferè jacturam faciant: id quod prudentissimus, quisquis is est, Autor appendicis ad Campanellæ de universali Monarchiâ discursum, aliquot exemplorum inductione probat pag. 36. 37. 38. Jam autem, ut Labrax ait apud Plautum, Rud. act. 5. sc. 2.

Miserum ist huc verbum & pessimum est, Habuisse, & nihil habere.

LVI.

Accedit *Avaritia & Arrogantia, præcipua validiorum vitia:* (Tacit. 1. Histor. 51.) quæ cum ipsâ imperii magnitudine in intolerabilem quendam modum excrescere est necesse. Nam si ii Principes, quibus Alexandreæ potentiæ parvam Fortuna portiunculam contulerat, eò superbiæ & ferociæ processerunt, ut Clitus Neptuni cognomen acciperet, & tridentem gestaret: Demetrius Catæbaten (quasi Deum cælitus in terras degressum) appellari se, suáque responsa, oracula dici pateretur, ut Plutarch. orat. 2. de fortun. Alex. pag. 338. ostendit: quid ii facient, qui alteri à

terâ manu Orientem, alterâ Occidentem contingunt?

Quod non potest, vult posse, qui nimium potest,

ait Seneca in Hippolyto, vers. 215.

LVII.

Quanquam esto sanè: modestum, ac lenem sese hic talis exhibeat: attamen *potentia numquam satis fida, ubi nimia est.* Tacit. 2. Hist. 92. *Quamvis bonus atque clemens sit, qui plus potest: tamen, quia malo esse licet, formidatur.* Sallust. orat. 1. ad Cæs. à princ. *In servitute, etiamsi non sit molestus dominus: tamen est miserrimum, posse, si velit.* Cicero Philipp. 8. *Non, quantum fecerit, sed quantum facturus sit, cogitatur in eo, qui omnia potest.* Senec. lib. 1. de clem. cap. 8. Nec adeò credibile est, permissurum eum, ut, quod in justo moderatóque imperio amat imperio, fundamentalium aliarúmque legum autoritate, nimia ista sua potẽtia frangatur, ac velut in ordinem cogatur.

LVIII.

Neque verò, propiùs inspecta magnam speciem habet illa tantopetè jactata sub Imperio Romano *pax immota, aut modicè lacessita.* Tacit. 4. Annal. 32. Nam statim eo loco subjicit Autor: *Maestæ Urbis res.* Profectò mæstæ. Quippe ut vetere quidem adhuc Repub. increbuêre *Discordiæ consulum adversum tribunos: plebis optimatiúmq; certamina: & perpetuum seditionum flabellum*) *agrariæ frumentariæq; leges.* Tacit. ibid. sic cùm eversâ deinde libertate, summa potestas ad unum recidisset: *saeva jussa, continuæ accusationes, fallaces amicitiæ, pernicies innocentium,* invaluêre. ibid. c. 3. Acriter exercita *lex Majestatis, singulare & unicum crimen eorum, qui crimine vacabant.* Plin. panegyr. cap. 42. *Ademptum per* INQUISITIONES *loquendi audiendiq; commercium.* Tacit. Agr. c. 2. Tolerata vilissima mancipia, Narcissi, Pallantes, Polycleti, Iceli, Asiatici, similésque Demotikyri ac dominorũ domini. Ne longum faciam, agi-

tata pax quovis bello triſtior ac ſævior: adeò ut *ſub Tiberio, Cajo*, (& quo nõ Principum?) *tantùm Pacis adverſa timuerint Romani*. Idem lib. 1. Hiſtor. cap. 89. Hæc, hæc illa domeſtica fuêre mala, *quæ per tot annos Rempub. Rom. exedêre*. lib. 2. Annal. cap. 27.

LIX.

Hæc domi. Quid foris? Non mitiora: eſt, cùm ſæviora quoque. De liberâ adhuc Republicâ Cicero in Manilianâ: *Ejuſmodi*, inquit, *in Provinciam homines cum imperio mittimus, ut, etiamſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum adventus in urbes ſociorum, non multum ab hoſtili expugnatione differant*. Noſter autor ipſe lib. 1. Annal. cap. 2. hæc mala non diſſimulans, ait, *Provincialibus ſuſpectum Senatus populiq; fuiſſe imperium, ob* CERTAMINA *potentium, &* AVARITIAM *Magiſtratuum*. Ecce duas aſſiduas ibi peſtes: *Certamina* & factiones in Urbe, ex iiſque bella civilia, quæ miſeras provincias affligebant: *Avaritiam*, hoc eſt, rapinas & extorſiones Præſidum, in populi imperio diſſimulatas, aut mutuâ diſſimulatione mali donatas invicem. Addit autor, nil hîc remedii Provinciis, ob *invalida legum auxilia, quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur*. Quod verum eſſe, Jugurthæ (nam omitto plures alios) & exemplum probat, & memorabile dictum illud: *Urbem venalem, & maturè perituram, ſi emptorem invenerit*. Salluſt Jug. cap. 35.

LX.

In Principatu deinde nil mutatum, niſi in deterius. Nam cauſæ potiùs ſervit, quàm ut verum dicat, Cerialis apud Autorem noſtrum lib. 4. Hiſt. c. 74. *Laudatorum Principum uſum ex æquo, quamvis procul agentibus: ſævos proximis ingruere*. Ut enim in Provinciales, Principes ipſi non ſævierint: at ſævierunt (quod idem, imò quod gravius eſt) eorum adminiſtri, procuratores, præſides, genus hominum quovis monſtro ſæpè tætrius. Quorum immanitatem

tem ſuggillans apud Dionem ſub finem libri 55. Bato Dalmata, Tiberio defectionis cauſam requirenti, *Vos*, inquit, *in culpâ eſtis ipſi, qui ad veſtros greges cuſtodiendos non canes paſtoréſve, ſed lupos mittitis.*

LXI.

Hæc mala Romanæ ſervitutis agitantes inter ſe Britanni: *Nihil profici patientiâ*, inquiunt, *niſi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos ſibi olim Reges fuiſſe, nunc binos imponi; à quibus legatus* (h. e. Cæſareus præſes provinciæ) *in ſanguinem, procurator in bona ſæviret. æquè diſcordiam præpoſitorum, æquè concordiam ſubjectis exitioſam: alterius manus centuriones, alterius vim & contumelias miſcere: nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptum. In prælio fortiorem eſſe qui ſpoliet: nunc ab ignavis plerumq; & imbellibus eripi domos, abſtrahi liberos, injungi dilectus, &c.* Tacit. in Agric. cap. 15. Similia cordatus ille dux Britannorum Galgacus, in ejuſdem libelli capitibus 30. & 31. intonat: *Fluctibus & ſaxis feriores Romani: quorum ſuperbiam fruſtrà per obſequium & modeſtiam effugeris. Auferre, trucidare, rapere: atque ubi ſolitudinem faciunt,* PACEM *appellant. Liberos cuique ac propinquos ſuos natura cariſſimos eſſe voluit: hi per dilectus alibi ſervituri auferuntur. Conjuges ſororéſq; etſi hoſtilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hoſpitum polluuntur. Bona fortunáſq; in tributum égerunt; in annonam, frumentum: corpora ipſa ac manus, ſilvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias, conterunt. Nata ſervituti mancipia ſemel veneunt, atque ultrò à dominis aluntur: Britannia ſervitutem ſuam cottidiè emit, cottidiè paſcit, &c.* Hujus loci ſunt, oratio Boodiceæ, Romanorum flagitia ac ſcelera perſtringentis, apud Dionem lib. 62. item in noſtro Autore 4. Hiſt. 17. oratio Civilis, oſtendentis, *Romanos miſeram Provincialium ſervitutem falsò Pacem vocáſſe:* præcipuéque Salviani lib. 4. de Gubern. Dei, locus integer de Bagaudis.

LXII.

Quin Regum ipsorum sors ibi non melior: tantò infensior etiam, quòd *vulgo ex mediocritate fortunæ pauciora pericula sunt.* Tacit. 14. A. 60. *Difficile est, magnam domum parvâ, aut parvam magnâ calamitate affligi.* Pachymerius lib. 3. Histor. Byzant. cap. 14. Nam etsi Romani subactis à se Regibus, Regnorum, quæ amiserant, administrationem precariam haud rarò permiserunt: multò tamen deterior eorum, quàm hodiè vasallorum, conditio fuit. Siquidem Vasallum, nisi ob certa crimina, ac præcedente causæ cognitione, feudo privare, Seniori jus non est: at Ptolemæum Regem Cypri, Romani indictâ causâ solio dejecerunt, ejusque Regnum publicârunt. Strabo lib. 14. Geogr. Ut alia taceam exempla, à M. Antonio, Octaviano, Tiberio, Caligulâ, aliis, in Reges fiduciarios pro libitu institutos ac destitutos edita. Imò *Tigranes Armeniâ quondam potitus, ac tũc reus, ne quidem supplicia civium, nomine regio potuit effugere.* Tacit. 6. A. 40. Insigne Prasutagi, Regis Icenorum, exemplum, à Romanis habiti crudelissimè, proponit idem lib. 14. Annal. c. 31. parissimum iis, quæ in Atabalipam Peruanum Regem, avorum memoriâ patrârunt Iberi.

LXIII.

An non his similia, aut multò graviora etiam, ab iis expectanda sint, quos heri hodiéque Monarchiam universalem agitare ferunt; America dicat, ac Belgium: ego nihil dico, qui *non ita sum offensionum avidus;* (Tac. 3. A. 54.) aut nescius, ejusmodi ulcera tangenda tractandáque mollissimâ manu: non, ut ait Petronianus ille, *stricto acutóque articulo:* vel, ut illa Martiani Capellæ Nemesis, *complicatis in condylos digitis* attrectanda.

LXIV.

Quod præterea de jucundissimâ ultrò citróque per Orbem, Romanæ Pacis beneficio, commeandi facultate referunt;

referunt; certè leviculum est. Etiamnum hodiè si cui id libeat, rationem ostendet Italicum Proverbium:

Con fiorino, Latino, & buon roncino,
In ogni paese si truova il camino.

Et notum est, per universam Turciam, securos ire redire posse Gallicæ linguæ peritos, aut Venetorum commendatitiis instructos. *Nero Cæsar centuriones duos ad investigandū caput Nili misit, qui longum iter peregerunt, cùm à Rege Æthiopia instructi auxilio, commendatiq; proximis Regibus, penetrâssent.* Seneca lib. 6. quæst. Natural. cap. 8. Imitemur, si tanti est.

LXV.

Nec majoris sunt momenti, quæ de iisdem ubique ponderibus, mensuris, numis, allata fuêre. Nam quicquid incommodi, mercatores in istorum inæqualitate sentire possunt, unius Arithmeticæ beneficio facilè tollunt. Quâquam, bona si sua nôsse quæque regio velit; quid adeò necesse, aliunde mercimonia petere? Nostrâ quidem cum patriâ, si verum amamus, optimè tum agebatur, cùm majores nostri, *nullum aditum ad se mercatoribus esse, nihil rerum ad luxuriam pertinentium inferri paterentur: quòd his rebus relanguescere animos, eorúmq; remitti virtutem existimarent.* Cæsar lib. 2. bell. Gall. cap. 15.

LXVI.

Speciem aliquanto majorem habent, quæ de Turcis à generali Monarchâ reprimendis aut opprimendis adferuntur. Ita namque prudentissimus Amiratus lib. 20. disc. 10. in fin. *Illud quoque verum est, cùm Othomanorum Domus incredibiliter imperium suum dilataverit, expedire Christianis, ut ex nostrâ parte, æqualis potentia Monarchia, quæ Turcis resistere valeat, exsurgat.* Equidem stare in fastigio Turcas jam videmus: sed stare. Nam à multis annis nulli sunt eorum progressus. Ergo suam ἀκμὴν ac summum nacti incrementum,

tum, posthac in declive vergent; nec facilè, nisi lacessiti, lacessent.

LXVII.

Ut autem ea, quæ proximis hisce sæculis aliquot Imperio Rom. detraxerunt, armis repetitum eamus, profectò vix consultum putem. Benè Plautus Trinum. Act. 4. scen. 3.

—— Quid ego, quod periit, petam?
Nisi etiam laborem ad damnũ apponam epithecam insuper.
Quin tu, quod periit, periisse ducis? ——

Præterita magis reprehendi possunt, quàm corrigi. Liv. 30. c. 30. Et scimus, illæ sacræ in Palæstinam expeditiones quàm ferè cesserint infæliciter. Eodem jure tenet hodiè suas Turca provincias, quo jure fuerũt olim ab Imperii Rom. conditoribus occupatæ. Vox verissima Ciceronis est lib. 3. de Repub. *Quod si omnes populi, penès quos sit imperium, ipsiq; Romani, qui Orbem totum possedêre, justitiam sequi velint, ac suum cuiq; restituere, quod vi & armis occupaverunt, ad casas & egestatem revertentur.* Eum in sensum est oratio Nivernii apud Thuanum, lib. 59. pag. 43. pr.

LXVIII.

Quod si seriò tamen id agunt, cur is qui nunc imperium decuplo majus Turcico possidere dicitur (à Bodino 2. de Rep. 2. pag. 190. d.) non à Turcâ potiùs opprimendo Monarchiæ catholicæ primordia capit? Quare ferrum in Christianos præcipuè stringit; ac non tantùm quietas sollicitat gentes: sed etiam afflictas premit, nostrúmque tamdiu quatit orbem, *nec ipse quiescens* (ut olim Athenienses apud Thucyd. lib. 1. pag. 47. a.) *nec alios quiescere sinens?* Cum Lucano libet exclamare, lib. 1. vers. 13.

Heu, quantum terræ potuit pelagiq; parari,
Hoc, quem civiles hausêrunt, sanguine, dextræ!

Ponat ille hanc imperitandi tam injustam, quàm immensam

sam & inexhaustam libidinem: & velim mihi fidem æternùm abesse, nisi cùm istud à Turca, si quod est, periculum, tum quæ miserè nunc Europam concutiunt, turbæ motúsque cessabunt omnes, haud secus ac

Quum venti posuêre, omnis fq; repentè resedit.
Flatus. —— Virg. 7. Æn. pr.

LXIX.

Hactenus HONESTUM & UTILE sumus exsecuti: nunc FACILE videamus: imò *Difficile*: imò, aut valdè fallor, *Impossibile*. Nam *sicut plerag; nova commenta mortalium, in verbis vim habent extemplò: cùm agi, non quemadmodũ agantur edisseri oportet, sine ullo effectu evanescunt*: (Liv. 44. c. 1.) ita Campanellis, & Hoiis, & talibus, est, credo, facile, Monarchiæ Catholicæ structuram in chartâ deformare: verùm opere ipso exprimere, haud perinde. Atqui verò *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, Reipubl. Utile, ipsis Glorioſum, aut* PROMPTUM EFFECTU, *aut certè non arduum sit*. Tacit. 2. Histor. 76.

LXX.

Ac principiò quidem à plerorumq; sententiâ nihil alienum faceremus, si vaticinio Danielis prophetæ nixi, frustra illos esse diceremus, qui post Romanorum Imperium, quod inter summa & præcipua Orbis terrarum imperia quartum ac ultimum esse putatur, Quintæ nescio cujus condendæ Monarchiæ consilia suscipiunt: præsertim ad finem spectante millenario annorum sexto, quem Orbi fatalem & novissimum prædixerit Elias. Attamen quia nec illius, per se quidem sacrosancti, sed nobis obscuri, Danielici vaticinii interpretibus inter se convenit: nec item Eliæ (Rabbini, non enim Prophetæ) vaticinium ullâ firmâ ratione nititur: illas lites, nostras non facimus: omissisque lubricis adeò fundamentis, alia quæremus.

LXXI.

Itaque Divino judicio & providentiæ contrarium esse, quale isti machinantur, Imperium universale, non obscuris indiciis hisce colligitur: quòd primò de eo Sacris in literis, quæ tamen minores multò conversiones Imperiorum accuratè prædixerunt, nec jota, quod quidem sciam, invenire est. Deinde quòd sive vulgò sic numerata quatuor illa summa, sive quæcunque Orbis alia considéremus imperia, nullum eorum ad immensam, quam isti moliuntur, amplitudinem excrevit: sed certos intra terminos finésque constitit. Nam etsi Cicero de Rom. Repub. loquens, eam *Orbis terræ imperium* appellitat: & Ovidius lib. 2. Fastorum ait:

Gentibus est aliis tellus data limite certo:
Romanæ spacium est Urbis & Orbis idem:

Scimus tamen, Romanos nec Asiæ, nec Africæ, nec Europæ universæ umquam imperâsse: faciléque Rhetori grandiloquentiam istam, poëtæ licentiam condonamus. Jam verò, quemadmodum ex sententiâ Senecæ epist. 98. *quidquid fieri potuit, potest*: seu verbis Livii 28. c. 41. *quæ acciderunt, accidere possunt*: sic ex adverso, quæ facta numquam sunt, ea necdum fieri posse præsumitur. Divinus Ecclesiastes hoc argumentum firmat, cap. 1. vers. 9. & 10. *Quid est, quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub Sole novum: nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est. Jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.*

LXXII.

Idipsum ampliùs ex eo quoque patescit, quòd autor Naturæ Deus, Orbis universi regiones alias objectu mon-

montium, solitudinum, Oceani mariúmque discrevit invicem: alias ingenii, linguæ morúmque diversitate fecit insociabiles: quin & Genios quasi præsides singulis singulos attribuit. Et sicut ipse solus in cœlis machinam hanc Mundi temperat ac moderatur, &, poëtæ verbo (Horat. 3. od. 4.)

Divósq; mortalésq; turmas
Imperio regit UNUS *æquo*:

Sic in terris velut curatores & vicarios quosdam suos constituit, qui in partibus eam tueantur & administrent: sed nimirum in partibus. Nam ne terreni quidem Reges aut Reguli dignentur unicum sibi vicarium constituere: sed pro amplitudine regni, provinciarúmque diversitate, diversos: & faciat ille rector universi maximus? Humana ista vermiculorum aut scarabæorum terræ consilia sunt, ridenda aut risa ei qui in altissimis est. risa? etiam gravissimè punita. *Humana consilia castigantur, ubi se cælestibus præferunt*, ait Valer. Maximus lib. 1. cap. 6. *Deus punitor est superborum admodum consiliorum, ac judex severus.* Æschylus in Pers. sub fin. *Dii vindices intoleranda superbiæ.* Liv. 9. c. 1. *Quando la superbia cavalca, la vergogna ed il danno gli vanno in groppa.* Quæ verò major superbia, quàm Universalem Orbis monarchiam, divino regimini similimam, hoc est, quandam in terris divinitatem, affectare?

LXXIII.

Ab eventibus omnis ævi certum est, ejusmodi μεγαλεπίβολα consilia, quippe repugnante supernâ dexterâ, infeliciter, vel saltem frustrà cecidisse. Veterum exemplorum, quæ plura sunt, omissâ commemoratione, juvat appendere, vel potiùs expendere, quæ noviſſimè Jan de Serres en l'Inventaire general de l'histoire de France, pag.

757. de Philippo II. Rege Catholico refert. *Philippe apres avoir veſcu ſoixante & onze ans, regné cinquante, travaillé le monde Chreſtien par guerres & combuſtions trentecinq, conſommé pres de ſix cents millions de ducats en moins de trente trois ans, qui par ſa propre confeſſion qu'il fit à ſon fils & ſucceſſeur en la derniere inſtruction politique qu'il lui laiſſa, ne lui auoyent causé autre choſe qu'ennui & faſcherie: chargé de duleurs, & cruellement trauaillé de maladies, ayant de longe main preparé ſa retraite de ce monde à l'autre, & ſuffiſamment eſprouué combien les ſceptres peſent à la main, & les couronnes à la teſte, trouua l'iſſue de ceſte vie auſſi miſerable & honteuſe pour ſa qualité, que celle du plus pauure homme de la terre, &c.* Et aliquantò pòſt: *Finalement eſt mort auec extremes regrets & compunctions de tant de ſang inhumainement reſpandu durant ſon regne, & de tant de millions d'ames, auſquelles ſon* AMBITION *avoit violentement arraché la vie.*

LXXIV.

Divinis iſtis rationibus humanas haſce licet adjiciamus: Quòd diviſiones imperiorum atque regnorum, factæ jam dudum, inveteraverunt, & moveri ſine motu Chriſtiani orbis non poſſunt. Quòd *nihil tam imbelle natum eſt, quod ſine elidentis periculo pereat.* Senec. lib. 3. de irâ, cap. 28. *Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab invalido.* Curtius lib. 7. cap. 8. Etiam *ſciarabaus aquilam, quarit,* ut eſt in proverbio. Quòd *periculum eſt, ne plura appetendo, parta quoque amittantur:* quam rationem Imp. Auguſtum illi præcepto ſuo coërcendi intra termmos imperii, ſuprà relato, adſcripſiſſe Dio teſtatur lib. 56. id quod ita eſſe, & experientia multiplex, & Italorum hæc docent adagia: *chi tutto vuole, tutto perde.* item: *chi tutto abbraccia, nulla ſtringe.* Nec illud inſcitū:

Chi due lepri caccia,
Una non piglia, & altra laſcia.

Prin-

Princeps oratorum Græciæ in orat. contra Aristogit. sapienter : *Multi sæpenumerò, dum majora concupiverunt, etiam ea, quæ jam obtinebant amiserunt: & qui cupiditate acquirendi plura, aggrediuntur ac tentant ea, quæ fas non est; maximis difficultatibus implicantur : conatúsque irritos & spes vanas fortuna deridet atque frustratur. Esi autem*, quod Dionysius Halicarnassæus lib. 8. admonet, *viro principi turpe, ob rerum alienarum cupiditatem bellum non necessarium sustinere, in quo se & omnes res suas in periculum sit adducturus.* Est autem hoc periculũ eò magis omnes oppressuro metuendum quòd etiamum hodiè sic animatos constat esse Magnates, ut olim Fidenates apud Livium lib. 1. cap. 14. *Hi nimis vicinas prope se convalescere Romanorum opes rati, priusquam tantum roboris esset, quantum futurum apparebat, occupãt bellum facere.* Cùm inquam omnium adeò gentium intersit, unius illius gentis, imperium in omnes adfectantis, immoderatam cupiditatem reprimi, & ejus immensæ potẽtiæ fastusq; fundamenta subvertis communi periculo moniti, junctis sese viribus opponent. Idq; fieri & solere, & debere, multis ostendit Amiratus lib. 20. disc. 10. Et quantũ vel unus, nec is magnus Orbis angulis, qui valli instar aut obicis, magni Regis ad ulteriora progressum hodiè moratur, in hoc genere possit, videmus. Benè Pericles apud Thucydidem lib. 2. pag. 138. c. *Qui prospero fortunæ flatu utentes, arbitrium belli pacisq; habẽt, dementes fuerint, si bellũ prætulerint.* Et Livius, 7. c. 12. *Neutiquã mihi placet, quando nulla cogat res, committere se fortunæ.* Quod usq; adeò verum, ut Flavium Marcianum Imp. id usurpâsse loco symboli Zonaras in ejus vitâ referat. *Donec liceat in pace vivere, non decere Principem arma sumere.* Rationem Thucydides adfert lib. 1. pag. 53. a. *Incerta priùs bellorũ instabilesq; vices, priusquã iis illigemur, perpendendæ sunt. Belli enim progressus infortuniis magna ex parte objicere solet: à quibus uti jam æqualiter absumus: ita ad*

cujus tum partes inclinatura illa sint, in incerto versatur. Quod Nicetas Choniates in Balduino Flandro, suo calculo comprobans, *Multæ sunt belli vices*, inquit: *tesseræ instar volvuntur res mortalium: nunc his, nunc illis favet victoria.* Et Liv. 9. c. 17. *Fortuna per omnia humana, maximè in res bellicas potens est.*

—— *Tecum prius ergo voluta*
Hæc, anime, ante tubas: galeatum ferò duelli
Pœnitet. —— Juvenal, satyr. 1. in fin.

Erasmus Roterod. in Adagio,

SPARTAM NACTUS ES, HANC ORNA.

HAnc sententiam passim in Principum aulis insculpi oportuit: quorum vix ullum reperias, qui verè cogitet, quid sit, Principis agere personam: quive ditione suâ contentus, non conetur aliquid imperii sui finibus addere. Nihil Principi pulchrius, quàm ut hoc quicquid est regni, quod fortuna dedit, suâ sapiétiâ, virtute, diligentiâ, reddat ornatius. Contigit oppidulum: imitare Epaminondam: fac ut frigidum illud oppidulum tuâ operâ multò reddas celebrius ac locupletius. Contigit fera ac intractabilis natio: da operam, ut eam paulatim circurem & legibus obtemperantem reddas. Contigit regnum parum splendidum: noli vexare finitimos: sed hoc quod habes, citra alienum detrimentum exorna. Vix unquam feliciter cessit peregrinæ ditionis affectatio. Quasdam nationes ingenium ac linguæ sonus discrevit, ut Germanos & Hispanos: quosdam ipsa natura diduxit, ut insulares mari, Italos mari simul & Alpium molibus: nonnullis casus terminos suos dedit. Si quisque quod nactus sit, nitatur ornare, nimirum ubique florebunt omnia: & inter amicos, nempe Christianos, omnia erunt omnium communia. Nunc sæpenumerò fit, ut, dum aliena labefactare nitimur, nostra funditus subvertamus: &, ut felicitet cedat res, tanto nostrorum civium sanguine, tantis sumptibus, tot periculis, tot sudoribus, tot orbitatibus, tot denique numquam enumerandis malis, eminus titulum nescio

scio quem inanem, & magni nominis fumum, &c. Regibus proprius ac pulcherrimus laudum campus intrà regni fines est. In apum gente cæteræ quidem huc & illuc volatu divagantur : solus Rex, ut aculeo caret, ita proportione corporis alas habet multò minores, ut ad volatum parum sit idoneus. Veteres ita Venerem fingebant, ut pedibus testudinem premeret id innuentes, matrem familiàs ab ædibus nusquam oportere discedere : quippe cujus omne officium intra domesticos parietes contineatur. Atqui multò magis ad rem pertinebat, Principem hoc admoneri symbolo : qui si quid peccat, non unius familiæ, sed Orbis totius malo peccat. An parum est domi negotiorum, ut foris sint accersenda ? Tanta est ubique scelerum sentina, tot sacrilegia, tot latrocinia, tot oppressiones, tot injuriæ, tot contumeliæ, tot magistratuum corruptelæ, tot leges aut à tyrannis institutæ, aut in tyrannidis ministerium detortæ : ut illa minutiora ne dicam, neglectas oppidorum vias, collabentes ædes sacras, incuratas fluminum ripas. His ita mederi, ut in remedium, quàm minimum de sanguine tuorum impendas : ut Respub. beneficium sentiat, non sentiat impendium ; ánnon egregium Principis munus, & immortali laude dignum ? Quod si cupis omninò gloriæ tuæ pomœria ultra ditionis tuæ fines extendere, fac ut qui finitimi sunt, magnitudinem tuam benefactis, non malefactis, experiantur. Exuris villas ; proteris segetes ; demoliris urbes ; abigis pecora ; trucidas homines ; atque ita denique te magnum declaras. bellum certamen, si id cum latrone suscepisses. Hesiodus scripsit, malum vicinùm magnam esse noxam : contrà bonum, ingens esse commodum. Hoc in te probent finitimi tui. Fac ita te mirentur magnum, ut ament benignum. *Hactenus Erasmus.*

Cicerõ

Cicero lib. 4. ad Attic. Epist. 16.

Disputare de Republicâ, est tractare rem magnam, & gravem, & plurimi otii.

Antonius Perezius in Aphorismis pag. 70.

Les discours d'estat sont des viandes pour les grands estomachs.

Attamen.

Et summi gubernatores, in magnis nonnunquam tempestatibus, à vectoribus etiam admoneri solent. Cicero Philip. 7.

Sæpe etiam est holitor valdè opportuna locutus. Agellius lib. 2. Noct. Attic. cap. 6.

Da huomini stimati cattivi esser fuor d'opinione usciti talora buon consigli, demonstrat Scip. Ammirat. lib. 5. disc. 2.

ANTHO-

ANTHOLOGIA POLITICORUM Axiomatum, ex universo Tacito opere collectorum; Auctarii loco subjecta.

I.

ARma Civilia neque parari possunt, neq; haberi, per bonas artes. *Tacit. lib. 1. Annal. cap. 9.*

II.

Mos Tiberio fuit, (*non usq; quaq; probandus*) continuare imperia, & plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus aut Jurisdictionibus habere. *Lib. 1. Annal. cap. 80.*

III.

Conjuratione detectâ, quamquam multi sustentâsse opibus, juvisse consiliis dicantur, haud quærendum. *2. Annal. 40.*

IV.

Non fraude, neque occultis; sed palàm & armatum, hostes suos ulciscì par est. *2. A 88.*

V.

Principes eximi dicendæ primo loco sententiæ, civile est; ne cæteris assentiendi necessitas fiat. *3. A. 22.*

VI.

Omittenda potiùs prævalida & adulta vitia, quàm hoc assequendum, ut palam fiat, quibus flagitiis impares simus. *3. A. 53.*

VII.

Consultum est, non esse successorem in incerto. Sic cohibentur pravæ aliorum spes. *3. A. 56.*

VIII.

Mobiles adolescentium animi, præmaturis honoribus ad superbiam non extollendi. *4. A 17.*

IX.

Vulgi convicia ferre Principem & relinquere, moderationis non

magis est, quàm sapientiæ. Nam spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur. *4. A. 34.*

X.

Acerbis facetiis abstinendum; quarum apud præpotentes in longum memoria est. *5. A 2.*

XI.

Populi imperium, juxta libertatem: paucorum dominatio, regiæ libidini propior est. *6. A. 42.*

XII.

Falsi in amore, odia non fingunt. *6. A. 43.*

XIII.

Consilium, cui impar sis, fato permittendum. *6. A. 46.*

XIV.

Imminentium periculorum remedium ipsa pericula sunt. *11. A. 26.*

XV.

Potentia cautis quàm acrioribus consiliis tutiùs habetur. *11. A. 29.*

XVI.

Bellorum egregii fines, quoties ignoscendo transigitur. *12, A. 19.*

XVII.

Moderatione plura quàm vi componuntur. *12. A. 49.*

XVIII.

Intempestivis remediis delicta accenduntur. *12. A. 54.*

XIX.

Turpe Principi, alienæ facundiæ egere. *13. A. 3.*

XX.

Pleraque in summâ fortunâ auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geruntur. *13. A. 6.*

XXI.

Solum *(sæpè)* insidiarum remedium est, si non intelligantur. *14. A. 6.*

XXII.

Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos, utilitate publicâ rependitur. *14. A. 44.*

XXIII.

Usu probatum est, leges egregias, exempla honesta, apud bonos, ex delictis aliorum gigni. *15. A. 20.*

XXIV.

Consilium muliebre deterius. *15. A. 54.*

Sub

XXV.

Sub malo Principe cohibendi spiritus (*& consilia generosa*) ne vana, & non profutura, nobis exitiosa, incipiamus. *16. A. 26.*

XXVI.

Contumaciâ inferiorum, lenitas imperitantis deminuitur. *16. A. 28.*

XXVII.

Rara fælicitas temporum, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet. *ibid.*

XXVIII.

Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant: quia miseriæ tolerantur; felicitate corrumpimur. *1. Histor. 15.*

XXIX.

Non contatione opus, ubi pernicioſior sit quies, quàm temeritas. *ibid.*

XXX.

Scelera impetu, bona consilia morâ valescunt. *1. H. 32.*

XXXI.

Insita mortalibus natura, recentem aliorum fælicitatem ægris oculis introspicere, modúmque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo vidêre. *2. H. 20.*

XXXII.

Civilibus bellis, plus militibus, quàm ducibus, licet. *2. H. 29.*

XXXIII.

Nuncios cladis occultantes, stultâ dissimulatione remedia potiùs malorum, quàm mala, differunt. *3. H. 54.*

XXXIV.

Prohibiti per civitatem sermones, eò plures erunt: ac, si liceret, vera narraturi; quia vetantur, atrociora vulgabunt. *ibid.*

XXXV.

In turbas & discordias pessimo cuique plurima vis: pax & quies bonis artibus indigent. *4. H. 1.*

XXXVI.

Optimus est, post malum Principem, dies primus. *4. H. 42.*

XXXVII.

Si status Imperii, aut salus Provinciarum, in discrimen vertatur, debet Princeps in acie stare: minora bella minoribus ducibus deleganda. *4 H 85.*

Comitate

XXXVIII.

Comitate & alloquiis officia civium provocare, iisque miscere Princeps incorruptâ majestate suâ potest. *5. H. 1.*

XXXIX.

Superstitioni obnoxii, religionibus adversi. *5. H. 13.*

XL.

Dotem ut uxori maritus offerat, non uxor marito, probabile. *De situ moribúsq; Germ. c. 18.*

XLI.

Sanctius ac reverentius videtur, de actis Divinis credere, quàm scire. *ibid. c. 43.*

XLII.

Omnia scire Principem oportet, non omnia exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœnâ semper, sed sæpiùs pœnitentiâ contentum esse. *De vitâ Agric. c. 19.*

XLIII.

A bono patre non scribitur heres, nisi malus Princeps. *ibid. c. 43.*

F I N I S.

In ſyZeteſin Politicam

NOBILISS. DN. MARci à Rechlingen, &c. quam ſub præſidio V. Excellentiſs.

DN. M. MATTHIÆ BERNEGGERI, Hiſtor. Profeſſoris in incluta ARGENTOR. Acad. inſtituit, Epode G. REMI.

HORTOS Heſperidum celebravit cana vetuſtas,
Quêis nil amænius ſiet:
Laudavitq́ eadem quondam Peneia tempe,
Ubi perenne ver ſiet,
Fontibus irrigua, & volucrum cõcentibus uſq́
Referta; quêis nil ſuavius
Viſu. PRAE SOPHIES *verò florentibus Hortis*
Horti TIBI *Heſperidum nihil*
Sint, ô MARCE, *decus Patriæ præluſtre futurũ:*
Nihilq́ Tempe Theſſala.

Hac

Hæc nemora, hos saltûs lustres indagine cautâ
POLITICA *quos* SCIENTIA
Ostendit mystis. Teneas, quêis sceptra reguntur
Regum & tremendi Cæsaris,
Dogmata: DEFENDAS *duce & auspice* BERNEGGERO,
Fidissimo nâ THESEO,
(Deflorata vocant) SELECTA *Problemata, diæ*
Deprompta penu è divite,
Quam dixi, SOPHIES. *Sic ibit ad aurea Nomen*
Et fama honosq; sidera:
Consiliiq; eris Augustalis Maxima tandem,
Patris æmulus, pol, portio.

Absens præsens adcinebat τῆς φιλοφιλίας ἔνεκεν Auctor,

Norimbergæ, VI. Eid. MAII
M. DC. XXV.

Digitized by Google

Hæc nemora, hos saltûs lustres indagine cautâ
POLITICA *quos* SCIENTIA
Ostendit mystis. Teneas, quêis sceptra reguntur
Regum & tremendi Cæsaris,
Dogmata: DEFENDAS *duce & auspice* BERNEGGERO,
Fidissimo nâ THESEO,
(Deflorata vocant) SELECTA *Problemata, diæ*
Deprompta penu è divite,
Quam dixi, SOPHIES. *Sic ibit ad aurea Nomen*
Et fama honosq́ sidera:
Consiliiq́ eris Augustalis Maxima tandem,
Patris æmulus, pol, portio.

Absens præsens adcinebat τῆς φιλοσοφίας ἴυγγα Auctor,

Norimbergæ, VI: Eid. MAII
M. DC. XXV.